

men abrogat speciales Ecclesiarum particularium Leges, nisi id exprimat.

- 261 Dico III. Quando Legislator, Successor, vel Superior in Lege sine causa dispensat, dispensatio est valida, sed illicita; secus si inferior dispense. Prima pars, attestante P. Pettschacher d. q. art. 3. §. 3. concl. 3. est communis contra alios paucos; eamque circa impedienda Matrimonii tuetur Clariss. P. Augustinus Magg tract. de Matrim. de dispensat. impediment. q. 4. pag. 195. generaliter quoque recipit Clariss. P. Hardter de LL. quest. 5. art. 1. 262 num. 3. Ratio est I. quia Lex tam in fieri quam in conservari dependet à voluntate Legislatoris. Sicut ergo Legislator sine omni causa potuisset Legem non ferre: sic Legem semel latam potest auferre, sive ex toto, sive ex parte; tam quoad omnes, quam quoad aliquos. Ratio est II. quia, licet & iustitia distributiva velit, ut immeritis nullus conferatur favor; & iustitia Legalis exigat, ut potestate sua Legislator non in destructio-

nem sed ædificationem communitatis utatur: attamen id solummodo de licita potestate usura, non de valida intelligendum est. Nam ita constringere potestatem Legislatoris vellet, ut sine rationabili causa nil agat valide, est periculo nullitatis omnes Leges actusque Legislatoris exponere: cum casus vice venire possit, in quo casus iustitia non traheretur ad examen. Ergo ipsa boni publici ratio postulat, ut absoluta dispensandi potestas relinquatur Legislatori, & sola actus honestas ad causam iustitiam alligetur.

Secunda pars, quam tenent citati Pettscha-265 cher §. 4. f. 238. & Magg d. q. 4. probatur exinde: quia inferior nequit in Lege Superioris dispensare, nisi ex præsumptâ voluntate & licentia. Atqui de Superiore præsumendum non est, quod sine rationabili causa in relaxationem Legis consentiat: quia præsumendum non est, quod velit causam vetitum approbare. Ergo sine causa inferior in Lege Superioris valide nequit dispensare.

CAPUT VI.

De Jure Civili Publico.

Expositio Jure Sacro & Canonico, subingreditur Jus profanum & Civile; quod, si relegere placeat in tract. præamb. cap. 1. n. 128. & seqq. bifarium esse, patebit, Publicum scilicet & Privatum. Illud, cum dignitate & nobilitate præcellat, ordine tractationis quoque præcedet.

SECTIO I.

De Nomenclaturâ, Naturâ, Ortu, & Progressu Juris Publici.

SUMMARIA.


1. & seqq. Varia acceptiones Juris Publici. 5. Definitio. 6. & seqq. Est ordinatio rationis. 8. & seqq. Immediatè in bonum commune & publicum Imperii. 10. & seqq. Ab ejusdem Supremo Capite promulgata. 12. Origo Juris Publici. 13. & seqq. Leges Publicæ non statim sunt scriptæ. 15. & seqq. Perstringuntur scriptores Catholicici. 23. & 24. Caute pro lectoribus Catholicis. 25. & seqq. Prima Lex Imperii scripta non sunt recessus sed Aurea Bulla.

§. I.

De Nomenclaturâ Juris publici.

- 1 Jus Publicum ab eo, quod manifestum, & non occultum sit, deductum, non unam acceptioem in Jure habet. I enim Jus Publicum à *Causa efficienti* vocatur, quod Autoritate publicâ constitutum est. Quod intellectum ad Jus Publicum in l. ex sententia 29. ff. de Testam. in tutela; in l. testamenti 3. ff. Quiritiam. fac. poss. testamenti factio; in l. quod bonis 15. §. 1. ff. ad Legem Falcid. beneficium Legis Falcidicæ, & alibi jura alia revocantur. Indequè in l. jus publicum 38. ff. de Pal. l. nec ex pratoris 27. ff. de R. l. pronuntiatum habemus, ea, quæ Juri publici sunt, conventionè privatorum immutari, aboleri, aut infringi non posse. Clariss. D. Josephus Bonavent. Franz in Quest. select. quest. 12. n. 1. & 2.
- II. Jus publicum appellatur ab usu & effectu, quod omnibus est commune, ac universos concernit cives. Quà ratione in l. nihil 116. §. 1. ff. d. 1. & l. ob maritorum 2. Cod. Ne uxer pro marito &c. Jus Publicum opponitur privilegio, quod non pertinet ad universos, sed ad singulos. D. Franz cit. quest. 12. n. 3.
- III. Jus Publicum denominatur à fine, puta à utilitate publicâ totius Reipublicæ, quam immediatè respicit, & curare, reparare, aut conservare intendit. Ita Imperator in §. ult. Inst. & Jctus in l. Juri 1. §. 2. de F. & F. Idem ib. n. 4.

§. II.



§. II.

De Natura Juris Publici.

IN postrema denominatione definitur potest Jus Publicum, quod sit ordinatio rationis immediatè in bonum commune & publicum totius Imperii ab ejusdem Supremo Capite promulgata.

Dixi I. *Ordinatio rationis.* Ut ostenderem, Jus Publicum esse veram Legem, in rectâ ratione fundatam, atque à Jure Naturæ & Gentium neutiquam alienam, uti frustra sibi persuadent Wesenbecius in Paratit. ff. de F. & F. n. 14. Zoëlius ibid. n. 23. & alii.

Nam si uspiam, in Jure Publico Naturæ & Gentium scita & sancita maximè procedunt: dum ea, quæ ad Fœdera, Bella, Legationes, Commercium, Pacificationes & paciones publicas spectant, non aliunde, quam ex Jure Naturali & Gentium, petenda, & expectanda sunt. Relegantur dicta in cap. 4. sect. 2. Conferantur Clariss. D. Franz cit. quest. 12. n. 9. Philippus Reinardus Vittrarius Instit. Juris Publ. tit. 2. n. 1. & 2.

Dixi II. *immediatè in bonum commune & publicum totius Imperii.* Hæcque est intima & unica ratio, distinguendi Jus Publicum ab omnibus Juribus, affinitate junctis. Licet enim Jus omne, quod Legale est, feratur in bonum commune, attamen immediatè in bonum commune & publicum totius Imperii nullum aliud, quam Publicum Jus ordinatur. Nempe quæ Lege Publicâ sanciantur, in executio-

ne primò in utilitatem publicam redundant, ac per consequentiam ad singulos diffundunt: quæ verò Lege aliâ statuuntur, in executione prius ad singulos, deinde ad totam Rempublicam ex consequenti dimanant. Clariss. D. Hermannus Hermes in Festsch. Jur. Publ. cap. 1. num. 3.

Dixi III. *ab ejusdem Supremo Capite promulgata.* Ubi Causam Efficientem Juris Publici indigito, quæ est Supremum Imperii Caput. Si enim quælibet Lex ab eo, qui curam habet communitatis, egreditur ex cap. 1. n. 12. & seqq. Lex Publica Imperii nequit ab alio, quam Imperii Supremo Capite, cui Reipublicæ totius cura & regimen est demandatum, ordinari. Unde Imperator Romano-Germanicus est causa Principalis Legis & Juris Publici in Imperio: qui, licet ex ordinatione Pacis Monasteriensis art. 8. §. 5. gauderet. Procerum Imperii consilium & suffragium prærequirere teneatur: attamen Imperialis culminis autoritate solus Leges conceptas promulgat, uti omnium ferè Receptum formulæ demonstrant: Nachdem Wir Uns mit den Ständen/ und sie widerumb sich mit Uns verglichen/ so setzen demnach/ ordnen/ und wollen Wir auß Dörmischer Kaiserlicher Macht und Vollkommenheit etc. Franciscus Fridericus L. B. ab Andlern Jurisprudens. publ. & priv. lib. 1. tit. 3. part. 2. num. 30.

§. III.

De Ortu & Progressu Juris Publici.

Jus Publicum Romani Imperii cum ipsa Romanorum Monarchia effloruisse, eundemque cum Jure Civili privato ortum habuisse, firmum ac certum habeo. Sicut enim quælibet communitas ex natura rei potestatem Legislativam privatam, sic publicam exposcit, prout sequens cap. sect. 2. exactius demonstrabit.

Leges verò Publicæ non statim, ut à Romanis conditæ, sic etiam scriptæ sunt; neque illarum studium tam impostum, quam Legum privatarum extitit. Posteaquam enim Imperatores ipsimet, atque inter hos Justinianus, non tam publica, quam privata Jura tractare, animum induxerunt, factum est, quod Veterum Jctorum aded parcum fuerit Juris Publici studium, ut, licet sui temporis Jura Publica optimè calluerint, pauca tamen literis consignarint. Illustr. D. ab Andlern cit. Jurisprud. publ. & priv. lib. 1. tit. 2. part. 2. ubi simul advertit, si quæ fortè scripta publicæ extiterunt, ea vel Urbe Româ à Gallis circa Annum U. C. 366. igne absumptâ; vel in universali incendio Constantinopolitano Anno Christi 1374. unâ cum concrematis 3000. libris perisse, & si quæ supererant, ex incuria suppressâ & deperdita fuisset.

Causam propinquirem cur studium Juris

Publici quasi mortuum & extinctum diu jacuerit in Germania, in Papatum cum Swedero in *Intradit. ad Juri publ. part. gen. cap. 1. n. 8.* & aliis Acatholicis refundit Jacobus Brunne-mann Jurisprudens. publ. Dissert. 1. §. 4. Causam verò, cur denuò ad vitam & lucem redierit, adscribit primis Religionis Reformatoribus in Germania & Helvetia, eò quod Principum Politicorum jura detexerint, ac contra Romanum Pontificem vindicaverint.

Sed nempe omnes ferè Scriptores Juris Publici, qui dogmata Lutheri & Calvinii sequuntur, laborant summe noxiâ hæc prurigine, ut quævis occasione venenatos dentes contra nos acuant; S. Pontificem auctè & morsu impetant; ac Orthodoxam fidem, cujus nitorem ferre nequeunt, maledicentiæ caligine deturpare properent, ut ferè in terminis olim conquestus est Clariss. D. Josephus Bernardus Gletle in *Select. Jur. publ.* Præ-18 primis verò integra calumniarum plaustra in Gregorium VII. effundunt; quem, ut Libertatis, Immunitatis, & Superioritatis Ecclesiasticæ Herculeum vindicem sciunt; ita non vanè perimebant, ne, si acta illius, à Cælo & tota olim Ecclesia comprobata, & ipsi seu extollant apertè, seu dissimulent, Judicem in Fidei Religionisve controversiis sibi non faventem agnoscere videantur. Non vin-19 dicat

Q3

- dicat sibi Pontifex Jura Imperatoris; sed utramque, & Pontificiam & Imperatoriam Potestatem, in suo ordine Supremam; illam in spiritualibus, hanc in temporalibus, facetur. in cap. 6. & seqq. *Disp. 96. cap. sollicita 6. de M. 20. O.* Habet equidem & ipse Potestatem profanam in territorio & patrimonio D. Petri; hæc tamen, suos intra cancellos conclusa, Jurisdictionem Imperatoriam non perturbat. Habet quoque Imperator aliquid ex juribus Ecclesiæ; sed à Supremo Ecclesiæ Principe in se derivatum esse, non ibi inficias.
2. Alii Reges & Monarchæ Catholici idipsum agnoscunt: Summum Pontificem. ut Patrem & Pastorem Maximum, salvâ suâ Majestate, venerantur: illum in Ecclesiâ Christiana; se in Regnis suis Supremos credunt: ab illo spiritualia; à se temporalia Jura (directa & ordinaria) profluere, non negant. Talem Regiæ Pontificiæque Potestatis subordinatiorem, si Reformatores Regionis & Religionis Avitæ intactam reliquissent, nec Imperatoris politicam Authoritatem in suo territorio minuisent, staret hodieum Romanum Imperium, ac verè Romanum, sanctum, dives, & formidabile nuncupari posset, quemadmodum ante duo circiter sæcula verè nuncupari potuit.
3. Cautos propterea Juris Publici studiosos esse velim in Legendis heterodoxorum libris Publicis; ne in rebus, Fidem & Historiam Ecclesiasticam quomodolibet tangentibus, ipsorum documentis, quæ plerumque domestica & nova sunt, fidant: alioquin pro floribus, quos sperant, spinas & tribulos inventent, animam periculosius quam corpus pungent.
4. Agentes. Attendant, quod D. Gletzel. *loc. jam cit.* asserere non timuit: si Religio Ca-

tholica in terris Imperii prædominari aliquando virtus incipiat, omnes ferè libri, illustrando Juri Publico ab Academicis conscripti, sub censuram vocabuntur, ac vel omnino prohibentur, vel ita expurgantur, ut vestigia veneni detegantur.

Primas Juris Publici Leges, quæ in scripturâ veteri redactæ sunt, nonnulli Recessus Imperii fuisse dicunt, hoc est, decreta comitialia, quæ sub finem comitiorum à Statibus & Imperatore concluduntur: eò quòd primis quasi temporibus Germani suos habuerint conventus, atque in illis de statu publico bonisque Legibus consultaverint. Nam, ut Tacitus de *26 Adoribus German.* inquit, de minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes; ita tamen ut ea quoque, quorum pene plebem arbitrium est, apud Principes tractentur. Et, ut ostendit Pfeffingerus in *Nor. ad Vitriarium lib. 1. tit. 2. num. 10. lit. d.* jam à temporibus Caroli Magni cum ipsis Regni incunabulis Status Imperii jus comitiorum, ferendæque cum Imperatore Legis habuerunt. Quia tamen non extant tabulæ authenticæ, quibus vel unicus Imperii Recessus ante Auream Bullam conditus exhiberi possit: hinc pro scriptis Germaniæ Legibus non rectè agnoscuntur Recessus.

Prima ergo & quasi fundamentalis Imperii Romano-Germanici Lex erat Aurea Bulla, ab Imperatore Carolo IV. circa electionem, & coronationem Imperatoris, nec non jura Electorum competentia, An. Christi 1356. promulgata. Clariss. D. Hermes in *Fascic. cap. 1. num. 15. & seqq.* Clarissimus D. de Wolleren in *cit. quest. select. 6. num. 5. & 6.* Vitriarius *lib. 1. tit. 2. num. 12.* Secutæ sunt Leges alitæ, de quibus jam egimus in *tract. præamb. cap. 1. à num. 140.*

SECTIO II.

De Effectu & Subjecto Juris Publici.

SUMMARIUM.

29. & seqq. Legibus Civilibus Publicis obligantur omnes cives Imperii. 32. & seq. Etiam Status Ecclesiastici. 34. & seq. Hac obligatio est virtutis obedientiæ. 36. Imperator non tenetur his Legibus vi coactiva. 37. & seq. Non obstantibus A. B. cap. 5. 39. & seqq. Nec vi directivâ directè, sed tantum indirectè. 44. Imperator non

potest se solò Leges Imperii univèrsaliter abrogare, vel illis derogare. 45. Bene tamen cum Status consensu. 46. Potest vero cum uno vel altero dispensare. 47. & seqq. In casu necessitatis non constringitur ullâ Lege Publicâ. 54. & seqq. Nec etiam in casu evidentiis militariis.

§. I.

Quomodo Legibus Publicis obligentur?

- Effectus Juris Publici est obligatio ad servandum illud, quod Jure Publico cautum legitur. Subjectum sunt illi, quos hæc servandi obligatio constringit. Ubi
30. Regula generalis ponenda est, quòd Leges Publicæ omnes Imperii Status ac subditos, tam immediatos quàm mediatos, obligent, prout ex Recessu Imperii novissimò de Anno 1654. §. 6. ibi: *seyen demnach wollen, und gebieten allen und jeden Hohen und Nidrigen, Geistlichen und Weltlichen, Ohn- und Mittelbaren/*
31. *seyen Ständ des Reichs oder nicht etc.* luculenter eruitur. Tamest non diffidentium sit; Status immediatos immediatè, mediatos tantum mediatè, quatenus à Principe & Domino terræ representantur, obligari. Vide Mayerum de *Jure Stat. Imp. cap. 5. n. 59.*
- Neque Status Imperii Ecclesiasticos ab hac obligatione exemptos esse, quispiam sibi persuadeat, quasi videlicet Legibus Sæcularibus soluti sint, per dicenda in *cap. seq. sect. 3.* Nam quia ab Imperatore & Imperio integras Pro-

vin-

vincias, Regiones, Principatus, Comitatus &c. in feudum acceperunt, Jurisdictionem Imperatoris & Imperii nec non Leges Publicas respicere tenentur per *cap. ceterum s. de Judici. cap. ex transmissa 6. & seq. de Foro comper. & ibi Canonistæ cum Gonzalez.*

34. An ista obligatio parendi LL. Publicis sit obediencia vel justitiæ; legalis aut conventionalis? Discerni solet. Ubi verosimilius existimo, esse obligationem legalem & obediencia: tum quia Imperator in Recessibus

& constitutionibus Imperii loquitur præceptivè, sicut ex *d. Recess. §. 6.* constat: tum quia Leges publicæ sunt verè Leges, à Superioribus subditis præscriptæ: tum quia verba *vergleichen / vereinigen etc.* in Legibus Publicis usurpari solita, magis Imperatorem quàm Status tangere videntur, quòd nempe ille non tam ex Lege quàm ex pacto tenetur, ut dicemus in *s. seq. Mayerus d. tractat. cap. 5. num. 60.* Paurmeister de *Jurisdiction. lib. 2. cap. 2. num. 57.*

§. II.

An Impetator Legibus Imperii subiectus sit?

Dico I. Imperator Legibus Imperii Publicis vi coactivâ non tenetur. Hermes in *Fascic. cap. 11. n. 84.* Ratio meridiana videtur: quia Imperator in veriore sententia est adhuc Monarcha; & in illorum opinione, qui Monarcham esse negant, saltem est Princeps Summus & Caput Imperii, dum in actibus & scriptis quæ publicis quàm privatis, tum à toto Imperio, tum membris Imperii sigillatim titulo Majestatis, Summi Capitis & Principis honoratur. Ergo deficit ex parte Imperii Jurisdictio, & ex parte Cæsaris subiectio, ratione cujus justitiæ vindicativæ severitatem & vim coactivam experitur.

37. Neque difficultatem facessit Auræ Bulla *cap. 5. §. fin.* ubi Serenissimo Electori, Comiti Palatino Rheni, prerogativa judicaturæ Cæsareæ ex antiqua consuetudine adstruitur, virtute cujus in causa Imperatoris, rei partes sustinentur, Judicem agere valet. Enimvero hæc judicatura non tam Authoritatis publicæ, quàm privati arbitrii est: dum Imperator, qui Camerali aut Imperiali Judicio non subiacet, nolens in causis propriis judicium per se exercere, Palatinum, quasi arbitrum Juris, delegit, ne causæ suæ dissiderent, vel injustitiam, quærere videatur. Vitriarius *lib. 3. tit. 12. §. 16.* Mulz in *Represent. Majest. cit. part. 1. cap. 16. §. 1.* ubi in *num. 8.* ex Lynneo advertit, judicium hoc ad justitiæ incrementum, non ad Majestatis decrementum, institutum esse.

39. Dico II. Neque vi directivâ Legum Publicarum Imperator directè obligatur. Hermes *cit. l.* Ratio est eadem, quæ prioris conclusionis. Cum enim Leges tam publicæ quàm privatæ directè ferantur in subditos; Imperator verò subditus sibi aut Imperio non sit: certè Legibus publicis etiam quoad vim directivam directè non obligatur. Rememorandum dicta in *cap. præced. à n. 139.*

40. Dico III. Imperator vi Legum Publicarum directivâ indirectè tenetur. Ratio est: quia

qui occasione Legis, nec tamen ex virtute Legis obligatur, indirectè obligatur. Sed Imperator non ex virtute, sed occasione tantum Legum Publicarum obligatur: quia nempe tam in ipsa Legum constitutione ultrò sed ad Legum observantiam adstringit, quemadmodum ex Recessu Imperii de An. 1500. in *pr. in verb. verwilligen und annehmen Wir ein Ordnung und Säkung etc.* aliisque Recessibus constat; quàm generali promissione & jurata sponione ante coronationem omnes Imperii Leges se se servaturos pollicetur, veluti ex Capitulationibus Augustissimorum Imperatorum, Caroli V. *art. 2.* Ferdinandi I. *art. 2.* Maximiliani II. *art. 3.* Rudolphi, Matthiæ, Ferdinandi II. III. & IV. Leopoldi I. Josephi I. & Caroli VI. *art. 2.* liquet. Ergo tantum indirectè obligatur. Confirmatur. Qui jurato spondet, quòd alieni Territorii Leges custodire velit, obligatur illis Legibus tantum indirectè, & occasionaliter. Ergo etiam, quia Imperator jurato spondet, quòd Imperii Leges adimplere velit, tantum indirectè & occasionaliter Legibus Imperii obligatur.

Neque Majestati Cæsareæ quidquam detrahi suspicaris, quòd propriis Legibus se se submittat. Nam si Majestatem ex eo depressam non censas, quòd Legibus Naturæ, DEI, & Gentium coronatum Caput inclinet: pari Jure depressam non censas, quòd propriis Legibus morem se gesturum Cæsar promittat: siquidem ipsa Naturalis ratio præcipit, ut, quam ab aliis servari desiderat Legem, ipse Legislator exemplo suo faciem & possibilem commoneat. Scilicet Sapientissimus effectum est: *patere Legem, quam ipse vultis. cap. 6. de Constitut. & Platonis sententia lib. 4. de LL. interitum parari illi Civitatè, in qua non Lex Magistratibus, sed Magistratus Legibus dominantur.* Vide D. ab Andlern *sæpe laud. Jurisprudens. lib. 1. tit. 3. part. 2. n. 16. & 25.* Mulz *p. 1. cap. 12. §. 4. & seqq.* Hermes in *Fasciculis cap. 3. à num. 32.*

§. III.

Possintne Leges Publicæ ab Imperatore mutari?

Certum videtur I. Imperatorem solum Leges Publicas in totum vel ex parte per ab- aut derogationem mutare non posse. Quod enim solius Imperatoris placitò non emittit in lucem, ipsius solius imperiò vitam perdere

nequit. Et quomòdò Leges abrogabit, quas jurissurandi sacramentò firmavit? Hermes *Fascic. Jur. publ. cap. 1. quest. 5. n. 30.* Ferdinandus Weyzenegger *Dissert. Jurid. de Imperatore cap. 7. n. 11.*

Cer.

45 Certum videtur II. Imperatorem cum Statutum Imperii consensu Leges Publicas in toto vel ex parte mutare posse. Nam qui Legem edidit, eam perimere valet: neque tam naturale quidquam est, quam dissolvere rem ex eisdem causis, ex quibus coaluit. Hermes cit. num. 70.

46 Certum videtur III. Imperatorem cum uno vel altero in Legibus Publicis dispensare posse, si dispensatio non vergat in Imperii præjudicium. Hermes cap. 11. n. 76. & seq. Cum enim dispensatio talis neque à Jure positivo, neque à Jure Naturali aut Gentium prohibita reperitur, permissa censeri debet.

47 Aceptus verò controversia videtur: possitne Imperator in casu extremæ necessitatis, vel maximæ utilitatis ea mutare, quæ suâ capitulatione & aliâ servare promissit? Hermes, quem plures alii sequuntur, in *Fascic. cap. 9. quest. 7.* rationes pro & contra accumulât: suam tamen sententiam, quasi in utramque partem propendulus, non prodit. Lymnæus in *Prolegomen. ad Capitulat. sct. 8. à num. 40.* satis apertè sententiam negativam tuetur. Clarissimus D. de Wolleren à *quest. 2. à n. 69.* & à n. 82. separat casum necessitatis à casu utilitatis; ac pro illo, si extremus sit, non obligari Imperatorem; pro isto, etsi summus sit, obligari, exquisitis argumentis probat.

48 Argumenta pro casu necessitatis extremæ sunt I. quòd nec vota, nec juramenta, nec pacta obligent ultra intentionem votantium, jurantium, paciscentium: mens verò tum Imperatoris tum Electorum paciscentium nunquam fuerit, obligationem servandi Leges & pacta publica ad casum extremæ necessitatis porrigere: sic enim in bonum Germanicæ Nationis, quod unice præ oculis habuere, non tenderet conventio, sed magis vergeret in detrimentum: dum in casu quòd v. g. Imperator hostili exercitu ex improvviso invaderetur, non posset necessaria defensionis arma, & bonum defensivum suscipere; sicque, donec consensum Electorum exquireret, hostem intra viscera grassari, ac regnum evertere ausum, tolerare & quasi fovere deberet.

49 II. quia Lex nulla, nullave conventio tam ferrea est & adamantina, ut humanam libertatem ad casum necessitatis seu obliget, seu alliget, per deducta in *cap. 1. à n. 214.* Cui ergo solus Imperator, Rex Regum dictus, tam rigidus sibi compedes per Leges & pactiones, cum suis Vasallis initas, injici patiatur, ut ne quidem in gravissimâ necessitate semet extricare, & liberare valeat?

III. quia in Capitulationibus Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. Rudolphi &c. & Augustissimorum Successorum Leopoldi & Josephi *art. 13.* Caroli VI. *art. 4.* casus necessitatis ab obligatione perspicue excipitur, ubi, dum ab initio & articulis præcedentibus varia negotia sine Ordinum Imperii consensu peragi non posse, conventu erat, subjungitur: wann wir aber von des Reichs wegen/ oder das H. Reich angegriffen

und befriegt wurden / alsdan mögen wir uns aller dem Reich ohnmachttheliger Hülf gebrauchen.

Argumenta contra casum utilitatis duo præcipue faciunt. Primum est: quòd Imperator in Capitulatione non solum generatim promittat, se nullò modò & viâ pactioibus publicis contraventurum; sed etiam speciatim cavet, quòd in casu salutis & utilitatis publicæ, ubi Statutum omnium consensus & consilium exquiri nequit, saltem cum Electoribus rem agere velit. Verba in Capitulat. Leopoldina & Josephina *art. 10.* Carolina verò *art. 6.* ita sonant: da aber publica salus & utilitas NB. ein mehrere Beschleimigung erfordert / da sollen und wollen Wir dann der siben Chur-Fürsten sambtliche Einwilligung zu gelegener Zeit und Wahl-Statt/ und zwar auf einer Collegial-Zusammenkunft / und nicht durch absonderliche Erklärungen / biß man zu einer gemeinen Reichs-Versammlung kommen kan / wie sonst in allen andern des Reichs Sicherheit concernirenden Sachen/ als auch in dier / erlangen. Altesimum est: quòd, concessâ semel libertate, à Capitulatione prætextu utilitatis recedendi, jam non amplius ullus articulus à recedendo sit tutus: cum publica utilitas semper obtendi, omnino transgressio hæc pallio clari possit.

Consentio huic doctissimæ distinctioni, à s4 Clarissimo D. Authore explicatius propolita, quoad primum membrum absolute; quoad secundum limitatè. Et quidem facile admitto, casum tam urgentem vix occurrere posse, ut non prius cum Ordinibus universis, vel saltem Electorali Collegio, desuper brevi manu communicari possit. Si tamen (ex hy. 55 potheli) occasio sese suggereret, recuperandi quidpiam eorum, quæ Imperio hæcenus inique subtracta sunt, eaque occasio elaberetur, antequam consensus Statuum impetrari posset: factis æquam & humanam censeo opinionem D. Bernardi Mulz *Represent. Majest. part. 2. cap. 5. n. 20.* non dubitandum esse, dicentis, quin Imperator studium augendi Imperium ipsò actu tellari, indubitatumque Statuum consensum anticipare possit. Quia

enim in *cit. art. 6. & 10.* non compellitur Imperator omnium Ordinum, sed Electorum duntaxat, animum explorare, si periculum in mora, & occasio salutis publicæ in præcipiti sit: tacite videtur insinuari, quòd, si tanta sit temporis brevitatis, ut ne Electorum quidem consensus adhiberi queat, Imperator licet id agat, quod in evidens Republicæ Romano-Germanicæ emolumentum eventurum esse, prudenter arbitratur. Nec præsumen- 57 dum est, Electores Imperii tunc invitos fore: siquidem Capitulationem Imperatori non alium in finem, quàm utilitatem Imperii, præscribere voluerunt, aut potuerunt: consequenter si occasio singularis & evidens utilitatis promovenda non concederet spatium, Electorum consilia desuper exquirendi, de- 58 tacito illorum consensu hæsitare vix licebit.

Qua in re non videtur dissentire Hornius *Jur. publ. cap. 11. §. 19.*

CA-

CAPUT VII. De Jure Civili Privato.

Jus Civile Publicum è vestigio consequitur Privatum; quod aliàs Civile simpliciter appellari consuevit. Huic illustrando non tantum Romani Jcti, sed etiam Germani, aliarumque Nationum Eruditissimi Jurium explanatores, numerò penè innumerò, strenuam & indefessam navarunt operam. Nos quàm plurimum ex *Cap. 1.* de Jure Legali in genere; tum ex *Cap. 2.* de Jure Canonico supponemus: reliqua, quæ peculiaria sunt, strictim expediemus.

SECTIO I.

De Juris Civilis Essentia, Promulgatione, & Origine.

SUMMARIUM.

1. Jus Civile non accipitur hic pro habitu.
2. Sed pro Lege, ac definitur.
3. Est ordinatio rationis.
4. à Legislatore Politico.
5. In bonum temporale.
6. Et privatum Reipublicæ.
7. Promulgata.
8. Quæstio de loco promulgationis.
9. & seqq. Resoluto de omnibus Imperii provinciis.
10. & seqq. Origo & progressus Juris Civilis.

§. I.

De Definitione Juris Civilis.

1. Jus Civile sumatur pro habitu prudentiæ Civilis, illius nomenclaturam & definitionem invenire licebit in *trakt. Praamb. cap. 1. à num. 122.* Si accipiat pro Lege, parumper immutatur definitio, & describitur, quòd sit Ordinatio rationis, à Legislatore Politico, in bonum temporale & privatum Reipublicæ promulgatum.

2. Dixi I. ordinatio rationis. Si rationi Jus Civile repugnet, ac peccatum aut iniquitatem statuatur, aut foveatur, à dignitate Juris Legalis deijcitur; uti factum in materia præscriptionis, cum mala fide Civili Jure comprobata in *cap. ult. de Præscriptione.*

3. Dixi II. à Legislatore Politico, cui nempe cura Reipublicæ Sæcularis est commissa; live sit in genere politico Summus; live eidem sub-

ordinatus: ita tamen, ut Leges, ab illo sancitæ, dicantur universales; Leges autem, ab isto dictatæ, particulares, locales, aut territoriales appellentur.

Dixi III. in bonum temporale; quòd præcipua Juris Civilis & Canonici differentia, jam in *cap. 5. n. 6.* insinuata, rursus indigitatur.

Dixi IV. & privatum Reipublicæ. Quæ vocabula discrimen intimum & essentiale Juris Civilis Publicis & Privati; jam in priori *cap. num. 8. & 9.* prælibatum, revocant in memoriam.

Dixi V. promulgata. Nam & Lex Civilis indiget promulgatione: de illa siquidem in *l. Leges Sacratissimæ 9. Cod. de LL.* Imperatores Valentinianus & Martianus pronuntiarunt, quòd ab omnibus intelligi debeat.

§. II.

De Promulgatione Juris Civilis.

8. Occasione prioris *num.* exurgit quæstio: debeant Lex Civilis non tantum in Aula vel Curia Principis, sed etiam in singulis provinciis promulgari?

9. Responso tamen non difformis (ut in *cap. 5. à n. 11.* de Lege Ecclesiastica) sed uniformis ferè est affirmativa. Inprimis enim Novellæ 66. rubrica verbis generalibus, ac sensum completum referentibus, concepta legitur: *ibi: ut nova constitutiones, post inscriptiones earum (subintellige in metropoli cujuscuque provinciae, ut commentatur Gothofredus ibid. lit. To c.) post duos menses valeant.* Deinde in *praefatione & cap. 1.* sermo quidem est de Legibus testamentariis, ratio verò tam univer-

alis, ut cæteris quoque Legibus conveniat. Nam in *praefat.* dicit Imperator: *quia, licet facta sint Leges, tamen non sunt cognita provincialibus, aut etiam hic nondum propolita, nullique manifesta, necessarium existimavimus, talia Lege brevi corrigere.* In *cap. 1.* autem in *prin. dicit: in provinciis Leges testamentarias valere, ex quo discreta per Metropolitas palam facta sunt, ne Legum ignorantia (secundum quod dudum tenuit) testamenta homines facientes, videantur prævaricari. Cur enim culpabimus eos, qui postas nostras ignoraverint constitutiones?* Jam verò tam rarus in Jure hospes nullus est, qui, quòd rubricæ, completum exhibentes sensum, auctoritatem declivam habeant; quòdve ratio sit ani-

R